

intulerunt, quibusdam partibus monasterij sanctae Mariae  
 in monte occidentali. Imperator igitur iterum Corbe.  
 renses inuisens privilegia et consuetudines aliquas prio.  
 rum, quas CCXXX et IX annos Ludouico Pio dante  
 habuerant, protestatiue mutauit. ex amoto monasterij  
 patre ignotum, et bonum fortasse, illis adduxit, qui quasi  
 doctior errata corrigeret, et deuias sanctae regulae trami.  
 tem cautiùs incedere doceret. Inde illi nimium meven.  
 tes uitam suam quae cunctis penè monachis exemplo  
 clauerau, uiliscere ingemiscunt, seseq; mutuo hortan.  
 tur potius discedere, quam iniuria subiacerè, sicq; factum  
 est, ut pauci admodum superessent, coeteris seculo misera.  
 biliter uagando occupatis, sed multis iterum dei gratia  
 conuersis, placuit se subdere regula, quam uana diligere.  
 Addidit etiam imperator hoc anno legationem mittere  
 ad Bolitlauum pro restituendis regionibus, quas abstulerat.  
 Ille, ut solebat superbe respondit, se non solum propria reti.  
 nere uelle, quin potius non sua diripere malle. Ad haec  
 imperator merito indignatus bella parat, fortiaq; uirorum  
 millia uocat in arma, cum quibus, haud mora, Polonia  
 attingit fines. Cum in primo aditu diuina adsunt solatia  
 hostes terga uertere, alibi ringentos gladio succumbere, ip.  
 sum quoque Bolitlauum a facie eius erminis euadere,  
 Sicque gaudet animo, suo satellite etiamnum saluo, excepto  
~~Hodan~~ iuvene egregio, qui uiribus imbellis cum paucis  
 fortibus tamen, intrepida morte laudabiliter occubuit,  
 cuius cadauer, ut ferunt, a Miricone filio Bolitlaui la.  
 chrinabiliter sublatum, omnibus necessarijs diligenter ap.  
 positis, suis redditur reportandum. Imperator uero dolet

Corbeia  
Visitatur.

Supurbia  
Solauy.

Polonia  
Strages.

Udone

Hichen.

Misico.

